Cickanowski Gaspari: Quaestio astronomophysica de cometa.

Ciekanowski Gaspari

Quaestio astronomophysica de Cometa.

In Nomine Domini, Amen.

QVÆSTIO ASTRONOMOPHYSICA, DE COMETA.

SUB FELICISSIMIS AUSPICIIS,

Magnifici, Perillustris, & Admodùm Reuerendi Domini,

D. M. SIMONIS STANISLAI MAKOWSKI,

S. Theol: Licentiati & Professoris, Collegæ Maioris, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani CUSTODIS, Curati Nasiechouicensis, Contubernij Hierosolymitani PROVISORIS, S.R.M. SECRETARII, ALMÆ VNIVERSITATIS CRACOVIENSIS Generalis & Vigilantissimi



RECTORIS.

A

M. GASPARO CIEKANOWSKI,

Phil: Doctore & Professore, Seniore Contubernij Gelaniani, PRO COLLEGIO MINORI

Publicè ad Disputandum

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio,

PROPOSITA.

Anno Incarnatæ Sapientiæ, M. DC. LXXXI. Mense Octobri. Die. 3. Horâ. 13

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO ASTRONOMOPHYSICA
DE COMETA.

Vt Cometæ ad obſeruandum locum generationis, ad Supputandos Motus, reſpectu Æquatoris Eclipticæ & aliorum Circulorum, ad Parallaxes, Aſpectus cum Planetis, & Stellis fixis, determinandos: habeant in Æthere Sphæram propriā, nec ne?

CONCLVSIO I.

Cometæ non generantur in Cælo, ſed in Suprema aëris Regione.

COROLLARIA.

I. Materia Cometæ, eſt Exhalatio terræ, calida & ſicca, pinguis & viſcoſa, virtute Aſtrorum eleuata, ſub concauum Sphæræ ignis, & ibidem incenſa, atq́ cum aëre mota.

II. Magnitudini Cometæ ſufficiunt exhalationes terreſtres.

III. Cauda, Colorum & Motuum diuerſitas, Duratio, ſaluari poſſunt in Suprema aëris Regione.

IV. Non tam cauſæ effectuum, quàm ſigna in his inferioribus cenſenda ſunt Cometarum portenta.

V. Ponentes, contra Ariſtotelis & Ptolomæi Sententiam, Cometas in Sphæris Cæleſtibus, ſuperflua conari ſtudent.

CONCLUSIO II.

Reſpectu Æquatoris Eclipticæ & aliorum Circulorum, viſi & veri motus Cometæ, certò obſeruari & ſupputari ad multos dies vniformiter non poſſunt.

COROLLARIA.

I. Si Cometæ motus calculari in longum & latum poſſent, deberent eſſe vniformes; ſaltem menſtrui; quod ab orbe condito probari nequit.

II. Nulla Ephemeris regularis, quoad longitudinem & latitudinem Cometæ formari poteſt: quæ ſi formatur contingens cenſenda eſt.

III. Nulli Motus, tàm in longum quàm in latum Cometarum habentur, ad rationem motûs alicuius Planetæ, aut Stellarum fixarum, ſed aliquando maiores, aliquando minores,

IV. Sicut alij motus, ita neq́ declinatio: neq́ latitudo, neq́ Aſimuth, admodùm aliarum Stellarum calculari poſſunt.

V. Cometa; quia à tot ſæculis patitur ſummam in ſuis motibus irregularitatem, ideò magna difficultas oboritur obſeruandi eundem in Aſtronomia.

CONCLUSIO III.

Cometæ Parallaxes, propter magnitudinem, distantiam à superficie terræ, Refractionem incertam, & irregularitatem motus, certò inuestigari non possunt.

COROLLARIA.

I. Suppositâ tamen Cometæ, iustâ à Superficie terræ distantiâ, & inuestigato aliquomodo Motu eius, potest calculari Parallaxis eius aërea, non tamen ætherea.

II. Refractio sicut Solem & Stellas attollit, iustò plus supra Horizontem: ita & Cometas parallaxis, è contra.

III. Distantia Cometarum à terra perperam demonstratur, absq; certò Parallaxium calculo, & aliorum Motuum determinatione.

IV. Inuentâ Cometæ Parallaxi minore lunari, non sequitur eundem esse in Regione ætherea.

V. Tubica Obseruatio non varians magnitudinem Cometæ non definit certò ipsum esse æthereum.

CONCLUSIO IV.

Aspectus Cometæ, Ortus & Occasus, duratio, nequeunt peti determinatè ex tabulis Astronomicis.

COROLLARIA.

I. Etsi Cometa cum Sole, Luna, & alijs Planetis videatur efficere quinq; aespectus, in Astronomia vsitatos: illi tamen non merentur nomen Aspectuum, sed aereæ cuiusdam illuminationis.

II. Cometæ Ortus & Occasus Cosmici Acronyci & Heliaci nequaquam prædici possunt, neq; de facto demonstrari.

III. Nullum punctum certum dari potest in Horizonte Ortus & Occasus Cometæ: sed sicut fulmina, coruscationes, ignes fatui, irides. &c. in media aeris Regione illuminantur, accenduntur, atq; certa puncta Ortus non habent: ita Cometæ in Suprema aeris Regione, e nobiliori materia orti & accensi, variam atq; variam referentes Speciem, ex varijs atq; varijs punctis Cæli & Horizontis motûs sui initium ducunt,

IV. Demonstratio certa non potest haberi, quot horis, quot diebus, quot Mensibus, quot Annis, nec ad quantum milliarium spatium, quoad longitudinem & latitudinem Regionum, & quo tempore, sese repræsentaturus sit Cometa Astronomice.

V. Posito tamen Cometâ in Suprema aeris Regione, & datâ eius maiori distantiâ à terra 25 Milliaribus, poterit Cometa videri plusquàm vnâ horâ, durationisq; suæ institui calculus.

CONCLUSIO V.

Præter Primum Mobile, Cœlum Cryſtallinum, Octauam, & Septem Planetarum Sphæras, non datur diſtincta Cometæ Sphæra, in Regione æthera.

COROLLARIA.


I. Cometæ neq; Excentricos & Concentricos, neq; Epicidos admittunt.

II. In nullis Axibus Polisq; videlicet neq; in axe & polis Æquatoris, neq; in axe & polis Zodiaci, neq; in proprio mouetur Cometa per ſe.

III. Licet tàm SSS. quàm contra SS. Cometa mouetur, hoc tamen fit non ratione proprij, alicuius Orbis, ſed per Accidens, ſ. ad motum aeris, primi mobilis & ſecundorum mobilium.

IV. Neq; Æquator, neq; Zodiacus, neq; Coluri aut alij Circuli regularitatem Cometæ, poſſunt determinare, eò modo, quò terminant corporum æthereorum.

V. Theoria penitùs nulla regularis, delineari poteſt, ad ſaluandam Cometæ reuolutionem in Cælo.



A. centrum mundi. B.C.D. Circulus magn⁹ E.F.D.Sphæra àeris. H.I.K.Superficies terræ. M. Cometæ locus. N.M.O. Angulus Parallaxeos N.O. Arcus Parallaxeos

Soli DEO Honor & Gloria.





Permiſſu Magnifici Domini Rectoris.

